

tus non amargo vigere, amantissime et inter membra Christi plurimum venerande, tum quia positus inter sollicitudines rerum ecclesiasticarum, non solum quotidianis, verum etiam furtivis horis notetiam operam sapientiae perscrutandae vigilanter impendis; tum etiam quia quae sentis in lege Domini, luculento sermone, suppeditante quidem facundia, potis es proferre. Item, quia turbam imperitorum atque discolarum mirabiliter muro tuae patientiae compescis, et eorum importunis assultibus immobilis permanes. Quia ergo tantam praerogativam virtutum insitam tibi considero, explanationem in librum Levitici experientiae tuae committere decrevi. Ne id quidem volo, ut aliquis arbitretur me in tuis laudibus efferendis declamasse, et tuum caput oleo peccatoris oblinisse: quate tutorem ac defensorem mearum ineptiarum, uti quibusdam videtur, citius quam alio lucro asciscerem; quod si verbis meis non credunt, vel operibus credant. Porro si verus es amator sapientiae divinae, nescies parcere cuiquam quem comperis dilaceratorem illius esse: quae quidam res tanto mihi sit odibilis, quanto magis deludo delectabiles amplexus ejusdem experiri. Caeterum vehementer reverens os loquentium iniqua, qui potius dispendia vitae dormitando certatim unusquisque amplectuntur, quam circa mysteria sacramentorum Scripturarum explananda compendium gratissimi laboris prosequi moliantur, quaeso vos, domine mi, ut istud opus animo vigilantissimo transcurratis, et totum quod sanum intellectum offendit, cultro catholicae fidei amputetis, et sic ubi minus fuerit quam decet, prout vobis placuerit, quaeso iterum ut suppleatis, ut postmodum sibilus quorundam reprimatur, et dens lividus atque corrosorius retundatur, et vestra auctoritate, diligenti quoque examine, liber iste commendatus, auribus plurimorum tutius divulgetur. Quod si quando quilibet me praesumptorem et opus vires ingenii mei transcendens aggredientem aestimaverit, unum quidem prorsus abnegans diluo, alterum vero mihi inesse profiteor. Quia vero vitium praesumptionis me incidisse quamplures autumant, dum textum Levitici conatus sum explanare, et stylo scatenti prolixum opus assignare; tandem fatiscat virosa lingua, et potius tela super in eundem livoris fabricata retorqueat in quemdam ar-

A chipraesulem, et in multitudinem personarum religiosarum, quas munus gratiae divinae filiis supernae Jerusalem praesesse voluit. Illorum namque praecipis parvi. Stylo currenti atque commentatorio totum opus in decem et septem libris consummavi. Testimonia vero Scripturarum quibus ea quae dictando scribebam, cingere frequenter procuraveram, more quidem meo, prout simplex turba fidelium flagitabat, tanquam verba libri exponere studui. Itaque dextram committens dextrae Excelsi, qui suscitavit de terra inopem, et de stercore elevat pauperem, quod ipse mihi subministravit, totum quidem diutinum laborem prona mente suscipiens, poscentibus libens porrexit. Noverint trutinatores alienorum operum, quia Dominus per infirma vasa suis filiis pleraque bona nonnunquam ministrare solet, maxime cum quispiam pauper et amator sapientiae floribus illius incubat, et pectore gemebundo, crebris quoque suspiriis, item rivulo lacrymarum interdum subsequente aures ejusdem pulsant. Quis, quaeso, mortaliu adeo tenax volaticarum rerum posset tolerare importunitatem cujuslibet indigentis, et ante portam illius alimoniam crebro clamore postulantis biennio seu triennio, quin vel micas a mensa decedentes transmitteret. Profiteor me jacuisse ante portam summam sapientiae viginti et quinque annos nocte ac die, quibus poteram desideriis implorans, ut me sitientem in cellam vinariam intromitteret, et vino incomparabilis laetitiae meam inopiam relevaret. Et quoniam frequenter, sicut Veritas protestatur, dicens: *Pulsate et aperietur vobis*, mihi quoque suum ostium divina clementia pulsanti reseravit, et pro meo affectu plurima propinavit, quae aliis propinare procuravi. Omnis qui indiget sapientia, postulet a Deo et dabitur illi. Certe nonnunquam viderim pauperem caeteris in postulando stipem corporis necessariam paulisper importuniorum, et ideo persaepe vi clamoris continue id quod desiderabat obtinuisse, et id ipsum quod extorserat collegis suis torpescitibus distribuisse. Hunc itaque ritum imitando perhibeor esse importunus Domino meo Jesu Christo, qui si non dat mihi, eo quod amicus ejus sim, surget tamen propter improbitatem, et dabit mihi panes quotquot habeo necessarios.

EPITAPHIUM RICHARDI

(Neustria pia, 510.)

Lux, flos, vas, patriae, monachorum, philosophiae,
 Abbas Richardus, tota domus jacet hic.
 Quidquid contextit lex, ejus lingua retexit,
 Et veterum quod quis implicat, explicuit.
 Qui Februi ternas assignat morte Kalendas
 Cui det perpetuum vivere vita Deus.